



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum IV. Decretalium, per viginti, & unum Titulos distributum, De
Sponsalibus, Et Matrimoniis, eorumque impedimentis, ac dispensationibus,

...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1702

Articulus IV. De impotentia dubia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73058](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73058)

& alij. Nec obstat, quòd durante illo periculo non possit licite debitum reddere, quia non requiritur ad matrimonium, quòd conjugatus se obliget ad reddendum debitum *quovis tempore*; sed cum legitimum impedimentum abest; aliàs infirmus impeditus à redditione debiti, impotens foret ad contrahendum. Caterum probatio (quæ fit per copulam cum alia) non est licita, nisi mulier à primo propter arctitudinem suam legitime separata, nuberet alteri; à quo cognosci potest, cui prior, ut diximus in vigore corporis inferior, vel saltem notabiliter dispar non sit. Nam tunc præsumitur etiam à priori viro cognosci potuisse; secus si non nisi aptata per copulam cum alio, à primo cognosci non posset; tunc enim matrimonium cum primo nullum foret; Sanchez. d. 93. n. 13.

ARTICULUS IV.

De impotentia dubia.

1294. Hactenus ea diximus, quæ spectant ad quæstiones, cum impotentia est certa, nunc agendum est de casu, quo est dubia, & quæstio est. 1. *an dubius num sit potens*, debeat abstinere à matrimonij contractu; & affirmativè propter periculum alteri potenti irrogandi injuriam; ita Sanchez cit. n. 103. *in fine*: si tamen non obstante dubio contrahat, posse reddere, ac petere debitum, ut Ecclesiæ constare possit, an validè, vel invalidè contraxerit? si autem intra triennium non probetur potens, iudicio Ecclesiæ separandum, ut dicemus infra; at si dubium de illius potentia vel impotentia post triennium vinci non possit, probando, quòd verè consummaverit matrimonium, vel consummare non potuerit, standum est pro favore matrimonij contracti; quia quilibet præsumitur potens, dum non probatur contrarium.

1295. Quæstio est 2. quid dicendum, si de impotentia constet, sed dubitetur, an ea matrimonij contractum præcesserit, vel subsécuta sit? præsumendum esse, quòd præcesserit, si ve ortum habeat à natura, si ve aliunde, complures probabiliter docent apud Sanchez d. 103. n. 2. sed probabilius est oppositum, si allegetur primum post aliquot annos à contracto matrimonio; Nam quilibet præsumitur potens, dum contrarium non probatur; hinc, asserenti,

talem impotentiam fuisse ante contractum matrimonium, incumbit probatio. Aliud est, si statim, vel post exiguum tempus allegetur, & de illa constet; tunc enim in dato dubio, præcessisse, meritò præsumitur: in dubio autem, num ea sit naturalis, vel accidentalis? & præsumendum hoc posterius, dum contrarium non constat. Nam in obscuris, quòd minimum est, & minimè gravat, sequendum est. Si tamen fornicariè cognoscatur ab alio, primo viro debiliori, nec in alio dispari, valeret matrimonium cum primo, quia meritò præsumeretur potuisse pariter cognosci ab eo.

ARTICULUS V.

An, & quando reclamari possit contra impotentiam alterius?

Ante resolutionem supponendum, plurimis de causis multum interesse conjugum, ne alligati sint vinculo perpetuo impotentis vel absolute, vel respectivè; & ob id in certis casibus illis licere contra impotentiam alterius reclamare, ut matrimonium inter eos initum ab Ecclesia solvatur, non solutione vinculi, sed declaratione nullitatis, seu matrimonij inter eos invalide contracti propter impedimentum, quòd alterius impotentia præstat. Quæstio nunc est, an, & quando, conjugi non impedito, vel etiam impedito, contra alterius impotentiam vel matrimonium, reclamare liceat, hoc est, apud Judicem Ecclesiasticum petere, ut matrimonium inter eos separatur, seu, ut dixi, nulliter contractum declaretur, datà non impedito facultate ad aliud, si velit, matrimonium contrahendum.

Supponendum 2. cum de impotentia, quæ allegatur, non constat, alleganti incumbere probationem vel per verum iudicium, vel septimam manum propinquorum, vel triennium continuum, quo demonstret, se tanto tempore conatos fideliter, nunquam tamen potuisse matrimonium consummare: ut magis patebit ex sequentibus. Potest autem impotentia unius ex conjugibus allegari, vel paulò post contractum matrimonium, v. g. statim, post duos, tres menses, vel tardius, nimirum post unum, vel plures annos, quibus iidem cohabitaverunt, ut colligitur ex diversis capitulis hujus tituli. his præmissis: